



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Doctrina speciales pro sensu S. Scripturæ inveniendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

## Doctrinæ speciales pro sensu S. Scripturæ inveniendæ.

Doctrina 1. *Singula Verba in S. Scriptura sunt consideranda*: nam, ut S. Hieronymus in Epist. ad Ephesios ait, *singulae voces, literæ, apices. & puncta in divinis literis plena sunt sensibus*. Id quod confirmans D. Gregorius Nazianz. in apologetico. Nos, inquit, *Exquisitam Spiritus doctrinam vel usque ad ultimam apicem & lineam transimus*. Et quanquam in omni Scriptura parte hæc adhibenda sit accurata verborum singularum proprietatisque eorum expansio, multo id tamen magis factum est in novo Instrumento, ac multo omnium maxime in Evangelistis; erat enim diffusa gratia in labiis ipsius. Unde ipse Jo. 6. dicebat, quod verba sua Spiritus & vita sunt.

Doctrina 2. *Quantum fieri potest, ipsi fontes frequentius consulendi sunt*: Uti communiter suadent, & faciunt Interpretes S. Scripturæ. Per fontes autem hos nihil aliud intellegendum, quam textus Hebræus & Græcus cum Paraphrasi Chaldaea, & Græca Testamenti Novi Interpretatio; ex his enim raro optimi conceptus ad sententiam, quæ præ manibus habetur, illustrandam eruuntur.

Doctrina 3. *Ad SS. Patrum expositiones diligenter, & fide in sensu S. Scripturæ investigando est recurrendum*: Et Clemens, ut Antonius de Balinghem p. 2. præp. ad loc. cit. monet, non modò in iis locis, ubi ex professo aliquam sententiam tractant, sed etiam iis, in quibus quasi obiter & incidenti eam explanant; in his enim locis latent sæpe peritissimæ, accommodatissimæque S. Scripturæ expositiones passim in eorum solidissimis & eruditissimis lucubratis videre est.

Doctrina 4. *Ne S. Scriptura sibi ipsi contraria esse videatur, diligenter ad ambiguitatem vocum, diversitatem numerorum, & aliasque circumstantias attendendum*: cum enim, ut Salmeron canon. 30. proleg. 9. loquitur, univèrsæ Canonice Scripturæ Author, non sit quasi hominibus mentiatur; nec ut Filius hominis, ut mutetur; nequitur, etiam si aliqua sibi repugnare videantur, ea

minimè sibi contraria esse, sed vel considerata temporum, locorum, causarum, rerum, actionum, & Personarum varietate, aut ambiguitate vocum, nominum propriorum, locorum, & Personarum; aut Cognita varia scribendi ratione per figuras Prolepsis, Anacephaleosis, id est, Anticipationis & Recapitulationis; aut perpenfa antecedentium & consequentium Verborum contextura, & aliarum circumstantiarum ratione omnia sibi invicem consonare, & mirificè convenire. Ex quo ulterius colligitur

Doctrina 5. Regula ab Interpretibus pro indagando vero S. Scriptura sensu assignari solita diligenter, ubi opus videbitur, adhibenda sunt: Ut enim Artifices, qui regulas suas adhibere temerè negligunt, manifesto se errandi periculo exponunt; ita non minus in S. Scriptura sensu eruendo & exponendo periclitabitur, quisquis Regulas ab Interpretibus Sacris tanto labore, studioque collectas adhibere neglexerit. Quia verò sat magnus similium Regularum est numerus, placet eandem distincto paragrafo breviter enumerare.

§. III.

De Regulis pro vero S. Scripturae sensu indagando assignari solitis.

Ut faciliùs intelligantur hæ Regulæ, proderit eas in diversas classes dividere; aliæ quippe generales sunt, quia generalè aliquam doctrinam in S. Scripturae interpretatione observandam indicant; aliæ particulares, quia vel ad Personas, voces, numerum, tempus, modum loquendi, figuras &c. pertinent, uti mox ex dicendis apparebit.

MEMBRUM I.

De generalibus Regulis.

Regula 1. Qua in divinis libris scripta sunt, tractare debemus per ea, qua scripta sunt. Ita Origenes c. 23. in Matth. Hinc cum Christus Matth. 25. dixerit: *Quamdiu uni ex minimis meis, mihi fecistis*: hæc sententia non ad illa duntaxat verba: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c.* sed etiam ad alia similia referenda est, ita ut æquè dici possit. *blasphemia*